

ILLVSTRISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO

D. D. LVDOVICO BOYER

REGI A' CONSILIIS

ET IN AVGVSTO RATIONVM SENATV

AVDITORI EXACTISSIMO.

CVI potissimum hæcce tyrocinij nostri experimenta dicarem, non diù multùm incertus fui, VIR AMPLISSIME; *à quo enim potiùs rem grauissimam incœpturus, quàm à tuo nomine debeam præfari. Iam verò quò mihi alium quærerem patronum; nisi quem mihi iam pridem olim & fortuna benigna objecit, & ratio confirmata statuit? ad te igitur venio, nec clam me est quantum in hoc præstando obsequio, & quàm graue onus tuæ imponam modestiæ: quippe qui nihil quidquam æquè libentiùs fugis, quam huiuscemodi fastus, quos reliqui hominum tanto studio ambiunt, tam cæco ardore prosequuntur: eò tamen dignior quò te magis indignum putas. Me verò pudeat, si in hac parte pudori parcam tuo, atque ideo mihi & meo ipse desim officio; quod reliquis æquissimus, tibi vni non æquus sis. Denique an aliud inter tot Medicinæ nostræ mox impugnandæ, æstûs ac procellas Numen appellem, quam te, cui me iam tot ante collata beneficia obstrinxerunt? Immò iam est cum mediùs fidiùs gratuler mihi: quod tandem locus datus sit; vt cunctis testari queam, quantâ te reuerentiâ suspiciam, & quàm ex animo verè sim tuus.*

Addictissimus & obsequentissimus
IOANNES BAPTISTA FERRAND.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS X. MARTII.

M. CLAVDIO TARDY Doctore Medico, Moderatore.

1117.

An bilioſis purgatio ante cibum?

HOMINES quibus obtigit temperatum & quadratum corpus vitam longæuam ſperent firmámque valetudinem quam vix attingant febris aut rheumatiſmus. His tamen fœliciores ſunt qui nati ſunt bilioſo temperamento, vt viri principes penè omnes & quicunque heroës fiunt à naturâ, quos certa ſpes manet tum diuturnioris vitæ tum inculpatæ ſanitatis, modò curent calori ſuo modum adhibere, & obtinent ab eo calore quod illis inuideant temperati perpetuum vitæ ſplendorem & gloriam. Vbicunque ſplendida bilis micat, illic natiui caloris & ſpirituum vis emicat ardens in ardua & ſumma quæque virtutum opera. Bilem perfectionis huius parentem temperatam putâ, pinguem, natiuo calori conſocialem, eiuſdem & animæ cum corpore vinculum, ſanguiniſque in orbem concitati vehiculum: ſin eadem bilis à natiuo nitore decedens inquinetur, caue tibi ab eius fermento, quo nihil ocyus aut potentius turbas mouet in corpore; humoribus primùm in flammam verſis, mox etiam diſſolutis diſſociantur & ipſæ partes. Non enim vna eſt ratio bilis ſeu temperiem vniuerſi corporis & complexionem, ſeu contrariam variarum partium intemperiem ſpectes. Inde repetenda bilioſorum hominum ſtructura ſeu habitus multiplex variáque valetudo. Aliqua bilis ſicca eſt, exſucca, friabilis, aliam ſerum diluit copioſiſſimum, alia demum lenta & pinguis; idcirco ex bilioſis nonnulli ſunt graciles, quibus nutritiorum viſcerum æſtum compeſcit cerebri temperies, & ab ea veniens arctior ſomnus cui molliter indulgent. Sed ea ſomni ſuauitas non recreat illos graciles, quibus cerebrum æquè ac viſcera præferuidum eſt. Inſuper bilioſi nonnunquam naſcuntur habitu in ſpeciem pituitoſo, quibus in obœſo corpore latent altiùs demerſæ venæ exiles, quemadmodum ab otio non raro fiunt. Mirum cum bilis quælibet promptiſſimè efferueſcat, ſed viciſſim nulla non miteſcit ope medicamentorum refrigerantium, neque tamen refrigerantia omnia omnibus bilioſis conducunt. Quod vni prodeſt, obeſt alteri: πάντα πρός τι φλαῦρα, πάντα πρός τι ἄριστα.

PRÆCIPVA valetudinis cura in labore & cibo modum tenere: laboris tædium & nimius amor cibi, frequentes ſunt in plebeiis morborum, in magnatibus corporum imbecillitatis cauſæ. His robur artuum accedit, illis abdominis ſarcina decedit exigui laboris impendio; vel erectos tantiſper ſtare plurimum iuuat, iſte niſus lactes & inteſtina ſuſpendit, mox ad naturæ nutum quà data porta bilis & quidquid ex cibis ſuperfluit, ſecedit. Aluum ducere omni ſtudio ſatagat Medicus in bilioſis, non purgante medicamento, ſed alimento medicamentoſo. Medicamentum εὐκοίλιον, nullum præter cibum & potum, qui ſucco frigido & humido lubrici deſcendunt in aluum & quidquid ſuperfluit ex aliis cibis, vnà ſecum deriuant innoxiè. Inter hæc εὐκοίλια fœtus arborum imprimis poma, tam valentis materiæ cibus vt in ventre quantumuis robuſto vix confecta, incorrupto colore ſecedant qualia ſunt ingeſta, nec illis vitio danda eſt iſta cruditas à quâ non pauca manant in bilioſos commoda, eorum calorem mitigant poma ſucco ſuo, mole inteſtina diſtendunt bili ad exitum pronæ viam ſternentia, ſi mox diluantur aquæ hauſtu liberali; ſic aqua hærens inteſtinis æſtuantibus fit medela quod ſola per ſe non præſtaret. Fructuum quoque gratiam vix vllam eſſe puta, ſi ſoli veniant in vſum è quibus ſine aquæ potu exceptis aluo ſuccum omnem nutritium ſtatim haurit æſtus viſcerum, tum ab exſuccis & ſqualidis quid aliud ſperes quàm ſegnes in ventre moras & confuſaneam excrementorum ſarcinam. Crudi fructus commodis priuantur ψυχροκοίλιοι & ὀξυρεγμώδεες, iis tamen aluo ſoluendæ proderunt cocti fructus ſi eorumdem ſuccos & aquam ſuperbibant. Si qui fructus in farinam abeunt, vt caſtaneæ, aluum firmant adeóque cor ipſum, ſed non rarò quod humores exugant ſeroſos & oleoſos, ſaburra fiunt bilioſis profutura quum admixta bile aluum ſoluat. Fructus primo cibo aſſumptus permultis æſtum viſcerum compeſcit & famem, ne cibum non ſatis confectum rapiant, aut in nidorem vertant, neve nimiopere carnibus & exquiſitis dapibus indulgeant, vt aluo plenâ & liberâ venæ dimidia tantum cauitate non totæ turgeant, ſuccis nimiùm nutrientibus ſaturatæ. Hæc vna eſt ars arcendi ſatietatem & morbos, quos omnes creat ſuccorum in venis redundantia & ventris ſegnities. Hac arte agricolæ morborum immunes diutiſſimè degunt, quod illis ſunt pro cibo non alimenta ſucco nutritio turgida, ſed olera, fructus, panis ater & caſeus exempto cremore. Qui delicias in cibis venantur poſtquam ſolidis cibis ſe expleuerunt, ſecundâ menſâ fructus crudos, conditos, & alia leuiſſimi nutrimenti ſcitamenta vorant propter dulcedinem, ideo ægriùs concocturi. Contrarium ſeruent ordinem ciborum quibus valetudinis cura, & vtantur munere naturæ quæ bilem & ὀπώρην bilis medelam eodem producit tempore.

NVLLVM eſt præſidium quo bilis & morbi ab eâ nati citiùs miteſcant quàm aquâ quæ illis aduerſiſſima, præ aquâ quilibet liquor ſegnis eſt in refrigerando. Ante potum purgantem pota, viam parat humoribus effundendis, & irrorata viſcera vindicat ab incendio, nec euentu nimis proſpero bibitur poſt purgantem potum. Frigida vnus eſt homini naturalis potus, in ieiuno bilem eiúſque fumos à præcordiis depellit; ante cibum ventris æſtum caſtigat, & eâ temperatione ſe comparat ad commodiorem cibi concoctionem: à cibo ſi bibitur, chylum miſcet & quoquouerſum diuidit, interdum vetat ne idem chylus acorem aut nidorem contrahat, faſtidij & amaroris parentem, eiuſdem aquæ benignitas, placatâ bilis feritate ſomnum conciliat, plurima demum affert corpori bona multo commodiùs quàm medicamenta, quæ iuuant non ſine noxâ, liberali aquæ potu redimenda. Ipſa tamen aqua vitium capiet niſi facili effluxu per anguſtos viſcerum flexus ſat citò deriuetur ad renes, & in bilem verſa ſeu iecur ſeu lienem diſtendat, deinceps capiti turbas mouet, vel corporis robur frangit, adeo vt veterno graui torpeat. Sin verò aqua epota decurrit impetu nimiùm præcipiti, quod rarò accidit, is exaſperat & auget bilem: hoc damnum auertit admixtus aquæ lentus quidam ſuccus qualem reddunt expreſſa lini, pſyllij, vel cotoneorum ſemina, vel incocta caro vitulina, exempto adipe, quæ laudes implet ptiſanæ Hippocratis. Aquæ chalybeatæ viſcera firmant & bilis vnà vaporem ſiſtunt, vt calybs ſuperadditus doliis contentos liquores ipſúmque vinum tuetur aduersùs fulmen, cuius ſulphuratam ſubſtantiam & vaporem ſiſtit, ſibíque conſociat ope ſimilitudinis, ideoque prohibet ne vini calor diſſipetur. Vinum inter cardiaca optimum, vberrima promptiſſimáque ſpirituum materia, virium fugientium fomentum, eſt ζωπύρον quo vigor functionum emicat, & interdum tam inſolitus ſplendor vt interitum maturet: ſic arbor conſperſâ ad radicem calce, precoci flore & fructu luxuriat in exitium; ſic vinum bilioſis nocet maximè; plerumque etiam in ventriculo fermentato aceſcit, & vt in dolium ſi ſubeat aër, vappa fit à tartaro. Pomaceus liquor velut ſyrupus è pomis, viſcera ſuaui tepóre perfundit, & ſanguinem refrigerat; ſed ferè cruditatem affert, vt poma. Zythus eſt ptiſana fermentatione acior facta, vini æmula, ſed ſuauitate ſaporis & ſubtilitate inferior, vnde aluum ſoluit & refrigerat.

VENTRICVLVS pars eſt meabilis omnium maximè poros habet innumeros inaſpectabiles, hac illàc perfluit, excepti liquores ſine morâ præterlabuntur. Hinc cibi ſolidi cum aquâ ſumpti corpori maius afferunt refrigerium, quàm ſoli potus qui mox effluunt. Cibi pituitoſi obuiæ bili ſeſe implicantes eam, ſi coctione debet miteſcere, diluunt, emendant, vel contumacem dejiciunt in alui retrimenta. Interim phlegma quod ab illis ſuccreuit bilis acrimoniam hebetat, & corpori conciliatur ſanitas humorum diſſimilium coitu. Iuniorum animalium caro, vt vitulina, agnina, & porcellorum lactentium, ſuccum bilioſis ſalubrem profert, nempe humidum, aluo ſoluendæ idoneum; contra caro auium vt edulia quæuis infirmæ & leuis materiæ, procliuis eſt in bilem verti. In pane eſt alimentum plurimum & optimum, à cæteris alimentis ſine pane aſſumptis certa immineret pernicies, & imminet à carnalibus in bilioſis hominibus cum eas auidius ingerunt. Panis non qui ex polline, ſed qui ex ſimilâ tritici eſt εὐστόμαχος, εὐκοίλιος, inteſtina eluit, minimùm bilis creat, & ſi quæ aliunde nata eſt, in vias inteſtinorum deducit. Qui ex ſecali conficitur panis, aluum quoque ſoluit, ſed ſtomacho grauis eſt, flatúſque gignit. Oua continent multum ſuccum & coctu facilem, phlegmaticis vtilem, non bilioſis: ab æſtu ventriculi velut ab igne indureſcunt, moxque vitellus flammam concipit & fit oleum, nec rarò contingit ab illis aluum ſiſti & vaſa corporis obſtrui, minore tamen incommodo ſi ſtatim aquam ſuperhaurias. Inedia verſis in flammam ſpiritibus calorem ſuſcitat, tum verò in vacuum & concalefactum ventrem vndique confluunt praui humores mox futuri grauiſſimorum ſymptomatum cauſæ. Bilioſorum ſanitati conducit ſomno indulgere, nec quicquam pernicioſius illis quàm noctes inſomnes ducere. Somnus initur ſaluberrimè in ſubfrigido cubiculo; ab aurâ enim frigidâ fit ſpiſſior bilis & ſanguis intepeſcit, ſed neceſſe eſt operto capite & pedibus obtectis dormire, ne ſi perfrigeſcant artus, in viſcera coactus calor adaugeatur. Hæc vitæ ratio ſi votis non reſpondet, aut non ſapit palato, vtere paulò ante cibum purgante, quod alimento iunctum longè plura detrahet à corpore, labore fermè nullo, nullo ſanè caloris incremento quod ſuſcitant ſumpta ſine cibis medicamenta. Globuli & pulueres medicati immodicum viſceribus calorem inurunt, tantula caſſiæ & ſennæ doſis ritè præſcripta ventris ſarcinam quotidie ab alimento ſuccreſcentem facilè deponet. At ſi præcauendo aut depellendo morbo in bilioſis eſt animus, corruptos humores ſatis copioſè repurgare, id exequere propinato ante cibum ad imitationem Hippocratis medicamento. Hellebori aut elaterij cuiuſuis præparandi artem non aliam adinuenit Hippocrates, ſed exhibendi tempora: quam nonnulli iactant ſe ſcire Hippocraticam Hellebori præparationem, inuenit nemo, nec aliam potiorem inuenire licet in ſcriptis venerandi ſenis, quàm vt paulò ante cibum exhibeatur. Hæc vna eſt genuina elateriorum præparatio paſſim & vbique ab Hippocrate celebrata, etiam in dolore lateris, vbi diſcrimen eſt à quauis etſi minimâ catharſi; præſcribit enim peplium & iubet ſtatim ab eo plus alimenti ſemel aſſumere, quam in reliquum diem.

SANGVIS redundans in venis, vel corruptus continet geminam morborum omnium cauſam, redundantem detrahit venæ ſectio; impurum alui ductio. Pituita ſponte ſua & nullo prænio apparatu per vomitum expurgatur, ideo jeiunus vtere phlegmagogis, neque ad cibum accede, niſi cum purgatio peracta eſt. Naturæ impulſu bilis per aluum ducitur, illam ne moueas medicamento purgante, niſi cum longâ animi & corporis quiete, iam diu reſedit, & vbi ſpiſſior facta eſt multo refrigerante potu & vberiore alimento. Humorem inſitâ leuitate mobilem ſi aggrederis commouere vt infra deturbes, exardeſcet illicò & tumultuosè attollet ſe ad caput; vis bilem compeſcere, alimenti ſuauitate condiatur, eam alligant materiæ diſſimiles, quæ ſimul ac vias & partes in quibus ebullit opplent, deflagrat æſtus; haud ſecus ac homines iræ præcipitis placido amicorum alloquio ad mite ingenium non ægrè reuocantur. Bilis haud abſimilis plumæ, quam vix prehendas niſi molli & ſuſpenſâ manu attrectes, ſi totam per vim tentes accipere, videbis derepentè vento abreptam euolare. Ex re quâ libet internâ vel externâ, ſed preſertim ex humore vel alimento quod in corpore computruit, emergunt variæ bilis ſpecies, acida, acris, amara, flaua, viridis, cineritia, hanc vel illam agitaueris illicò grauis odor expirabit qui capitis perculſi functiones interuertit & vt fœtida quæuis illuuiès commota, peſtem exerit atrociorem. Si quæ ratio indicat adeſſe neceſſitatem purgandæ per vomitum bilis, aſſumat æger ſine potu varium alimenti genus, ſic enim in ventriculo diutiùs hærens bilem ad ſe alliciet, feruidóque eius ſucco quem imbibit velutî fermento intumeſcet, non multò poſt propinetur largior potus ex multiplici vino concinnatus, qui ſupernatans fluitet ad ſtomachum, tunc ſanè ſtomachus iſtâ ciborum & potûs varietate ac bile turgens & exæſtuans, nauſeâ laborabit & nitetur in vomitum, quem ſi non perficiat vomitorium adhibe. In purgatione quæ fit per aluum, admixto alimento bilis craſſior facta & eiuſdem ſiccitate delibuta cedit medicamento trahenti, promptéque ſecedit. Itaque ne metuas ſtatim à cholagogo aquâ vel vino diluto fauces & ventrem proluere, & ſtatim cibum capere, qui ſatis ſit ne deinceps niſi prepurgato corpore comedas. Sumptum ſtatim à purgatione alimentum ventriculi & inteſtinorum cauitates & venas opplet, ita viæ minus patent bilis excurſibus. Vtique putridi humores & medicamenta dum mutuò ſe commouent, addunt viſceribus calorem, fumos & halitus putres ad caput efferunt, niſi alimenti benignitas fracto eorum impetu ad inferiora vnà cum bile per aluum deduceret, catarrhos acres qui ſuperas partes inuadunt ſanat hæc purgandi ratio, prohibens ne abdomine coerciti humores, calci viuæ ſimiles, concitentur, neve ſublimes ferantur ad caput: vbi enim abeſt tumultus calorem extraneum facilè depellunt partes natura frigidæ, & redeunt ad priſtinum frigoris ſibi debiti modum.

Ergo bilioſis purgatio ante cibum.

Proponebat Lutetiæ IOANNES BAPTISTA FERRAND Pariſinus, A.S.R.H. M.DC.LXI.